

PRÆFATIO.

*itur dies, aut dematur otio nausea. Animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum &c. En disciplina, quæ de moribus precipit, & vitæ civilis rationes moderatur vim & facultatem, in qua τὸ θεῶν non minus ac in aliis scientiis reperitur, Virtus nempe Heroica, præter Dei auxilium institutionem, longam exercitationem ac prudentiam requirens, quæ adminicula naturæ potentiam roborant & confirmant. Hanc morum doctrinam veteres sapientes non una ratione tradiderunt, exercueruntque in hoc studio, quamvis dissimili modo, ingenium & Philosophi, & Historici, & Poëta. Philosophi quidem directâ via incedunt, disputantque de virtute & vitio, illam sequendam, hoc esse fugiendum docentes, quam in rem præcepta salutaria suggerunt. Cumque in Ethicis multa occurrant physica, quedam mathematica, nec non aliarum scientiarum argumenta, infelicissimum sane Moralis discipline a reliqua Philosophia divortium esset. Historici autem & Poëta in eadem materia versantes, virtutes & vitia non in abstracto (ut Logici loquuntur) considerant, nec causas naturamve, quod Philosophorum est, rimantur; sed contemplantur tantum his deditos homines, facta & mores eorundem recensendo, imitandorumque vel fugiendorum specimina suppeditando: atque ita tacite quodammodo vitas mortalium inspicere nos jubent, atque de aliis capere exemplum. Historici tamen a Poëtis hoc adhuc discrimine separantur, quod illi res gestas, quemadmodum gesta sunt, simpliciter narrent; hi autem & quæ gesta sunt, & quæ geri potuerunt, decenti imitatione exequantur. Addunt enim multa Poëta, & argumentum revera historicum poëtica excogitatione,*

*sive*